Hoc in filia regis et in vxore
principis magnum fuit. ~~Accidit circa idem tempus.~~ Accidit circa
idem tempus, ut rex Vngarie, pater
beate Elyzabeth, mitteret vnum de
comitibus suis nomine Pauian
cum multo comitatu, ut reuoca-
ret ad terram suam filiam ipsius.
Audierat enim quod quasi mendi-
ca esset et omni solacio destitu-
ta. Et veniens ad oppidum Mar-
burg idem comes inuenit illam
ad colum sedentem et lanam filan-
tem. Qui pre nimia ammiracio-
ne se benedicens dicebat: Nun-
quam filia regis visa est prius
lanam fusare. Hoc est quod
Salomon de illa predixerat:
Et digiti ejus apprehenderant fusum.
Non enim gloriam extra querebat,
sed intus, secundum illud: Omnis
gloria filie regis ab intus. Cujus
glorie respectu filia regis Elyza-
beth paupertatem affectans et
exilium, induci non poterat ut
rediret. Habebat tunc temporis
famula dei pallium griseum,
in se nimis curtum, sed alterius
coloris panno prolongatum. Mani-
cas etiam tunice ruptas, alteri-
us coloris panno emendatas.
Quandoque hyemis tempore, quia
vestes non habebat sufficientes, in-
ter duas culcitras jacebat, vnam
sibi substernens et altera se tegens.
Et dicebat hiis verbis: Ego quasi in
sarcofago jaceo. Et erat in tribu-
lacione